DE LYGDAMI, QUI VOCATUR, ELEGIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOSOPHICA,

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA

HONORES

RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT

DIE XIII. M. AUGUSTI A. MDCCCLXVII


UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS STUMPE,

MARCHICUS.



ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

G. KLOPPE, CAND. THEOL. ET PHIL.

P. SCHNABEL, CAND. PHIL.

HALIS SAXONUM

TYPIS SCHMIDTIANIS.

[1867]

VIRO DOCTISSIMO

AUGUSTO WIEGAND

PHILOSOPHIAE DOCTORI

OPTIME DE ME MERITO

AUCTOR.

Introductio.

Tibulli carmina praestantissima qui admirarentur omnibus temporibus, unde illa nota sunt, et antiquioribus et recentioribus fuere permulti. Neque id immerito, quia tanta dulcedine et suavitate praestant, ut eorum qui legunt animos magis magisque capiant et detineant. Summa autem laus tribuenda est Tibullo, quod sensus, quibus commovebatur, singulari veritate et perspicuitate effingere sciebat. Atque his quidem virtutibus et Propertio et Ovidio praeferendus est, quorum alter, quamquam Tibullo animi fervore verborumque granditate excellebat, tenebris tamen, quas poetas Alexandrinos imitatus sententiis obducere solebat, illi cedit, alter autem, quamvis magnam apud omnes sibi collegerit laudem ingenii ubertate animique alacritate, quia sensus, quos in „amoribus“ pingit, plerumque simulati sunt putandi, ea in re cum Tibullo comparari nequit. Quae cum ita sint, quis est qui miretur, quod praeclarissimi viri, quorum judicio plurimum tribuendum est, in legendis carminibus Tibullianis summa delectatione se affectos esse confitentur? Atque primum quidem Ovidius ipse, quibus locis Tibulli mentionem fecit, maxime eum praedicavit, neque quidquam magis doluit, quam quod illius consuetudine uti sibi

non licuerit. Itaque in notissima illa libri IV tristium elegia (10, 5) haec queritur:

nec avara Tibullo
tempus amicitiae fata dedere meae.

Optimum autem quanti eum fecerit documentum tota elegia nona libri tertii praebet, qua sacri illius vatis (v. 41) mortem acerbissime deplorat. Deinde eodem in carmine (v. 5) „famam Elegeiae“ „cultumque poetam“ Tibullum appellat (v. 66. I, 15, 28) et in primo amorum libro (15, 27) tamquam vaticinans his verbis utitur: donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma, Discentur numeri, culte Tibulle, tui.

Neque minoris Tibullum a Quinctiliano aestimatum esse decimus institutionum oratoriarum liber dilucide ostendit, in cujus capite primo: „elegia, ait, Graecos quoque provocamus, cujus mihi tersus atque elegans maxime videtur auctor Tibullus.“

Similiter autem atque veteres recentioris aetatis viri docti de Tibullo judicaverunt, inter quos Muretum potissimum dignum putamus, cujus verba afferamus et comprobemus. Insignis enim ille vir haec fere: summa, inquit, in Tibullo elegantia et proprietas, summa in Propertio eruditionis pocticae copia et varietas. In illo Romana prope omnia, in hoc pleraque transmarina. Illum nativa quaedam et incorrupta Romani sermonis integritas in media urbe natum et altum esse perspicue ostendit, hunc praeter cetera forma et character ipse dicendi in Graecorum poetarum scriptis assiduissime esse versatum demonstrant. Mollior ille et delicatior, nervosior hic et auctior. Illo magis oblectere, hunc magis, ut opinor, admirere. Illum judices simplicius scripsisse, quae cogitaret, hunc diligentius cogitasse, quid scriberet. In illo plus naturae, in hoc plus curae atque industriae fuisse perspicias.“

Ommissis autem reliquorum virorum eruditissimorum judiciis, qui inde a renatis praecipue in Italia renovatisque litterarum studiis usque ad XVIII saeculum Tibulli carminibus

operam dederunt, omnesque in praedicandis illis consenserunt, id potissimum mirum videri oportet, quod, cum certe plerique eorum intellexisse putandi essent, quantum duo libri priores atque tertius inter se differrent, ne unus quidem eorum dubitavit, quin totum illud quatuor librorum corpus vere Tibullianum esset habendum. Quorum alii omnino non turbati videntur esse difficultatibus, quibus Tibullum libri tertii auctorem censentes premerentur, alii Scaligero ipso audaciores versum illum elegiae quintae (v. 18), quo ea, quae credi nón possunt, vera putare cogimur, nimia cum confidentia exstirpaverunt. Fuit igitur primus I. H. Vossius, doctissimus vir, qui id, quod jam antea in calendario poetico (Musenalmanach 1786) disputaverat librum tertium a Tibullo non esse compositum, in praefatione translationi suae praemissa argumentis gravioribus confirmare studuit. Initio autem Vossius neminem assentientem nactus videtur esse nisi Eichstadium, qui quatuor commentationibus illius sententiam solam recte se habere ostendit. Neque enim Heynius neque Huschkius neque Bachius neque Spohnius, ut Vossio accederent, a se impetrare potuerunt. Sequentibus autem annis Lachmannus cum Vossio consentiens tam brevi quam copiosa adnotatione elegiae 1 libri III subscripta adversariorum opinionem graviter repugnavit, et quod ingeniosus ille vir exhibuerat, Dissenius summa cura etiam accuratius exsequi studuit eaque re effecit, ut omnibus, quantum scirem, recentissimae aetatis viris doctis librum tertium nullo modo a Tibullo compositum esse persuaderet. Qua re dilucide demonstrata cum inter viros doctos quaereretur, quisnam auctor illorum carminum censendus esset, fuere, qui, quamquam Lachmannus et Dissenius hoc in lucem proferri non posse bene intellexerant, tamen ei quoque rei expediendae operam darent. Inprimis autem tres opiniones commemorandae sunt, quarum jam antea Vossius proposuerat aliam censens Lygdamum libertinum et natione Graecum verum esse auctorem, aliam Obekius, qui Cassio Parmensi libri tertii

elegias tribuit, aliam denique Gruppius, qui carmina illa ab Ovidio composita esse conjecit. Quas ad opiniones defendendas si accurate exanimaverimus, quibus argumentis docti illi viri usi sint, pleraque incertissima et levissima esse judicabimus et in iis, quae Lachmannus et Dissenius contenderunt libri tertii auctorem plane ignorari, nobis perseverandum esse intellegemus.

Jam vero cum fortasse sit, qui quaerat, quid nostro studio opus sit in dijudicanda quaestione, quam viri doctissimi iique summo ingenio praediti copiosissime tractaverint, paucis explicemus liceat, qua consideratione ducti de Lygdami, qui vocatur, elegiis agere nobis proposuerimus. Itaque primum quidem cum animadvertisse mihi viderer ea, quae Vossius, Lachmannus, Dissenius dispersis locis exhibuissent nondum satis esse collecta, non solum eam in rem studium meum conferre, sed etiam omnia perpendere et cum iis comparare operae pretium esse putabam, quae ab aliis et recentioribus et prioribus temporibus conscripta mihi praesto erant. Cui rei intentus cum eos quoque viros, qui Tibullo librum tertium una abjudicaverunt, in singulis rebus valde inter se dissentire intellexissem, animum ad id adjiciebam, ut exquirerem, quisnam verisimilius cognovisse putandus an omnino alia via esset persequenda atque ea, quam illi ingressi sunt. Certissimam autem viam, qua id, quod mihi proposui, perficiam eam esse puto, ut

I. ostendam, quantum libri priores atque tertius inter se differant: 1. argumentis 2. ratione rerum describendarum 3. re grammatica 4. re metrica.

II. explicem: 1. Tibullum libri tertii auctorem esse non posse ex duodevigesimo elegiae quintae versu apparere. 2. quinam Lygdamus et Neaera fuerint. 3. libri tertii auctorem imitatum esse Tibullum 4. libri tertii auctorem imitatum esse Ovidium 5. Ovidium ipsum libri tertii auctorem esse non posse 6. quid de auctore libri tertii censeam.

I.

1. **de argumentis.** Comparantes nos argumenta libri primi secundi atque tertii fallere non potest, cum Tibullus exceptis minoribus libri quarti carminibus voluptates et amoris et vitae agrestis describere soleat, in elegiis libri tertii nusquam commemorari rem rusticam. Qua re quid magis admirandum est? Vitae enim agrestis studium tam arcte cum amoribus, quos Tibullus celebravit, conjunctum fuit, ut plane cogitari nequeant scripta a Tibullo sex carmina de amoribus suis, in quibus ne verbum quidem ruris occurreret. (Sic recte Dissenius praef. 59.) Quid vero poeta laborum et religionum agrestium loco nobis describit? Prima in elegia librum summa arte exornatum, in secunda ultimos sepulturae honores, quibus mortuum se exornari cupit, in tertia divitias, quas se spernere confirmat, in quarta Apollinis vaticinantis habitum, ita ut omnia ad conspectum referantur et ad ornatum rerum, quas oculis cernimus.

2 **de ratione rerum describendarum.** Omnino autem elegiae libri tertii ab iis, quae et primo et secundo libro continentur, ea re diversae sunt, quod, cum in his magnus amoris ardor animadvertatur, in illis ingratum quendam languorem inesse apparet. Neque minus duo vitia, quae in elegiis libri tertii inveniuntur, vituperanda sunt: oratio turgida et inflata, qua levissimae res describuntur, deinde vix tolerandae eandarum sententiarum repetitiones.

a. oratio turgida et inflata. Jam si singula accuratius examinamus, prima in elegia causam, ob quam poeta tamquam alta voce Musas invocat, absurdissimam esse apparet. Quis enim est, qui cum legerit hos versus (III, 1, 16) „per vos, auctores hujus mihi carminis, oro Castaliamque umbram Pieriosque lacus“ talia secutura esse exspectare possit (1,17) „ite domum cultumque illi donate libellum sicut erit: nullus defluat

inde color.“ Deinde in elegia quarta (v. 43) Apollo, postquam grandi oratione usus ad poetam ipsum se convertit et haec dixit: „salve cura deum: casto nam rite poetae Phoebusque et Bacchus Pieridesque favent,“ superbia quadam inflatus Musas et Bacchum despicere videtur, cum gloriari pergat: „at mihi fatorum leges aevique futuri Eventura pater posse videre dedit. Quare ego quae dico non fallax accipe vates quodque deus vero Cynthius ore feram.“ At si consideraverimus, quem ad finem poeta Apollinem tam gravia verba loquentem fecerit, jure mirabimur haec legentes: „carminibus celebrata tuis formosa Neaera Alterius mavult esse puella viri, Diversasque suas agitat mens impia curas. Nec gaudet casta nupta Neaera domo.“ Profecto! talia non somniare debebat poeta, qui Apollinis Delphici dignitatem tamquam in anus loquacitatem commutavit. In eadem denique elegia (v. 85 seq.) poeta de Neaerae moribus pessime ita loquitur: „nam te nec vasti genuerunt aequora ponti Nec flammam volvens ore Chimaera fero, Nec canis anguinea redimitus terga caterva, Cui tres sunt linguae tergeminumque caput, Scyllaque virgineam canibus succincta figuram, Nec te conceptam saeva leaena tulit, Barbara nec Scythiae tellus horrendare Syrtis, Sed culta et duris non habitanda domus Et longe ante alias omnes mitissima mater Isque pater quo non alter amabilior!“ Quae horrendarum imaginum ubertas nemo sit, cui placeat.

b. repetitiones. Sed exceptis illis, quae ostendimus, vitiis libri tertii auctor repetitiones admisit malas, velut in carmine tertio, in quo, cum decem versibus deos non propterea se exorare affirmaverit, ut divitias, quas omnes enumerat, sibi colligat, sed ut cum Neaera conjunctus voluptate longae vitae fruatur, denuo divitias, quae a se spernantur, describere incipit. At ne hoc quidem varietate colorum usus sed eodem fere tenore pergens, quo antea eandem rem descripserat. (Cf. v. 5 et v. 11, v. 3 et v. 16.) Neque minus repetitionum plena elegia quinta

judicanda est. Poeta enim postquam amicos, qui in Bajarum balneis commorantur, allocutus est, ad Persephonen se convertit orans, ut vitae suae parcat. Neque enim facinus ullum se commisisse et admodum juvenem non senem esse. Deinde iterum a diis inferis precatur, ut sibi parcant, et, si consenuerit, mortem afferre malint. Denuo denique ad amicos se convertit suique memores vivere et sua causa Plutoni nigras oves vovere eos jubet.

c. sententiae languidae et absurdae. Neque in libro tertio deficiunt sententiae, quas et languidas et absurdas esse neminem fugere potest. Male igitur poeta in elegia prima (v. 19—20) canit: „illa mihi referet, si nostri mutua curast, An minor, an toto pectore deciderim." Quos tres amoris gradus nugas esse jam Heynius recte judicavit. Ubi enim simpliciter dici debebat, „si nostri mutua cura, an toto pectore deciderim" talem sententiae dividendae rationem non elegantem sed ineptam esse constat. Male quoque poeta in elegia prima (v. 7) his verbis usus: „carmine formosae, pretio capiuntur avarae," formosis puellis avaras opponit. An formosas puellas solis carminibus, non muneribus delectari putemus? Qua de re Tibullum in libro I et II plane aliter judicavisse apparet. Deinde quis est, qui cum legerit in elegia quarta (v. 36) „ima videbatur talis inludere palla" verba quae sequuntur: „namque haec in nitido corpore vestis erat," aequo ferat animo? Qua dictione nihil languidius, nihil inutilius esse facile liquet. Neque minus vituperanda sunt verba, quae poeta Apollinem v. 76 dicentem fingit: „quod si vera canunt sacris oracula templis, Haec illi nostro nomine dicta refer." Quorum versuum sententia, cum eam esse appareat, ut Apollo dicat, quam vera sint oracula sua in templis edita, tam verum hoc quoque dictum esse, maxime miranda videatur oportet, quia jam antea (v. 49. 50) deum graviter loqui legimus: „quare ego quae dico non fallax accipe vates Quodque deus vero Cynthius ore feram."

Qua ex re conjici possit, quasi Apollo Lygdamum oraculis suis quam minimam fidem dare censeat et id efficere velit, ut ille ea credat. Mirum deinde putandum est, quod poeta amorem suum cum matris erga filiam comparat, cum dicat (4, 51): „tantum cara tibi, quantum nec filia matri.“ Et frigide cumulata sunt vocabula hoc in versu (4, 93) „longe ante alias omnes mitissima mater“, ex quibus unum sufficiebat velut in lib. II, 4, 26. Magnus denique languor in verbis, quae sequuntur inest (4, 94) „isque pater quo non alter amabilior.“

3. **de re grammatica.** De re grammatica inveniuntur multa, quibus librum tertium a reliquis omnino discrepare apparet. (cf. Lachm. adn. III, 1. Haupt observ. crit. Lips. 1841 pag. 13.)

a. Primum quidem cum poeta in libro tertio (4, 62/63) ad exclamationem efficiendam particula „a h“ utatur, alibi (I, 1, 51. II, 4, 27. IV, 3, 6) nulla alia nisi „o“ legitur. Deinde Tibullus non usurpavit vocabulum „a u t e m“, quod in libro tertio (5, 3) invenire possumus. Similiter vocabulum „e t e n i m“ nusquam nisi in libro tertio (1, 14.) animadvertere possumus. Deinde poeta vocabulum „e t“ in libro tertio tantum sexies postposuit et semper secundo loco, quod in libris prioribus saepissime postposuit et in libro primo (2, 96) post tria vocabula. Deinde cum in libro tertio (4, 43) vocabulum „n a m“ secundo loco positum inveniatur, in reliquis idem usus non placuisse videtur. Neque in reliquis libris redeunt, quae in tertio leguntur, velut „o p o r t e t“ (1, 14) „q u a m v i s s e q u e n t e i n d i c a t i v o m o d o“ (6, 29), quam conjunctionem in libro primo, in quo bis (4, 43, 8, 15) reperitur, conjunctivus modus sequitur, „p o s t q u a m s e q u e n t e p l u s q u a m p e r f e c t o t e m p o r e“ (4, 41) quod in libro secundo (5, 107) sequente indicativo usurpatur. Mirum deinde videatur oportet, quod poeta in libro tertio (1, 19) loco usitatioris vocabuli „n u m“ particulum „si“ sequente indicativo modo admittit. In prioribus denique libris

nusquam inveniri possit exemplum, quo poeta vocabulo „hic“ eandem notionem subjecisse demonstratur, quam in libro tertio 4, 23., quo loco idem atque „tunc“ illud valere apparet. Similis autem usus invenitur: Verg. Aen. II, 199.

b. de periodis: Deinde liber tertius cum reliquis a Tibullo compositis ea potissimum re differt, quod in illo multo longiores periodi inveniuntur. Neque enim fieri possit, ut aut in libro primo aut in secundo et quarto tam longas periodos animadvertamus, quales his libri III locis inveniuntur: 2, 15—22. 3, 1—10. 4, 51—60. 4, 85—94. 5, 7—16.

4. **de arte metrica.** De arte metrica Lachmannus in adnotatione lib. III, 1 subscripta: „Lygdamus, ait, ipso Tibullo castior, hexametros nullos post quartum trochaeum incisos posuit. Tibullus enim cum primis annis vel Lucretii et Vergilii curam superans ea incisione ita tantummodo usus esset, si in quinta decima versus mora vocabulum monosyllabum collocasset, postea hac exceptione spreta, ad quam nonnisi bis recurrit, ceterorum exemplo paullum remisit“. Cujus sententiae demonstrandae haec exempla a Lachmanno afferuntur: I, 2, 23. 1, 71. 2, 75. 4, 61. 6, 27. 9, 39. IV, 2, 17. At unusquisque, qui versus illos accuratius lustraverit, rem omnino aliter se habere intelleget. Caesura enim, cum pausam aliquam efficiat, eo potissimum loco nobis cognoscenda erit, quo sententias divisas esse apparet. Itaque in secundo illo versu incisionem minime post vocabulum „neque“, quod vult Lachmannus, sed post „aetatis“ vocem locum habere putem, ita ut hepthemimeres, quam vocant, oriatur. Quam caesuram in versu quoque tertio et quinto et sexto usurpatam esse censeam. In primo denique et in quarto et septimo penthemimeres, quae vocatur, cognoscenda sit. Recte autem viri docti libri III elegias cum iis, quae libro I et II continentur, ea re differre monuerunt, quod in illis altera pentametri versus pars saepissime e spondeis constet. Itaque cum in libro primo inter 405 versus pentametros tantum 52 invenian-

tur, quorum altera pars composita est e spondeis, in libro III 119 versus pentametros comprehendenti tales nobis occurrunt 37. Denique in libro I, II, IV ne unus quidem versus pentameter in „ns" desinens inveniatur, quem semel in libro tertio (4,46) admissum esse legimus.

II.

1. **Tibullus libri tertii auctor esse non posse duodevigesimo potissimum versu elegiae quintae libri tertii demonstratur.** Postquam igitur ostendimus in libro III praestantissimum Tibullianae poeseos argumentum deesse, descriptionem voluptatum, quas vita rustica praebet, postquam omnino sex illas elegias tale ingenium non exaequare vidimus, quale in reliquis Tibulli carminibus animadvertere possumus, postquam magnum singularum rerum numerum inesse exhibuimus, quae abhorrent ab illius ratione dicendi, jam ex tanta rerum diversarum copia jure colligi possit totus liber tertius non huic sed alii cuidam poetae esse tribuendus. Sed restant alia, quae opinionem illam omnino justam esse ostendunt.

Ac primum quidem ex iis, quae in Ovidii tristibus (IV, 10, 51.) legimus, poetas, quorum hoc loco mentio fit, annis ita inter se distasse apparet, ut Vergilium natu maximum Gallus Tibullus Propertius sequerentur. Quia autem Ovidium anno 711 natum fuisse constat (Trist. IV, 10, 6) et se ipsum quartum ab illis poetis temporis serie fuisse dicit, Tibullum non eodem anno natum esse liquet.

Optimum autem argumentum, quo Tibullus librum tertium non conscribere potuisse demonstratur, id videatur necesse est, quod legimus in eleg. S v. 17: „natalem primo nostrum videre parentes, Cum cecidit fato consul uterque pari."

Quibus verbis cum is, qui librum tertium conscripserit, anno 711 natus fuisse doceatur, quo Hirtius et Pansa css. ante

Mutinam urbem interfecti sunt, fieri non potest, ut Tibullus eodem in lucem editus sit. Qua de re bene Dissenius in introductione interpretationem el. 3. lib. I antecedenti: „Post pugnam, ait, Actiacam auctumno anni 723 u. c. factam Messalla ab Augusto adversus Aquitanos pro consule missus erat eosque debellaverat. Interfuerat his rebus etiam Tibullus, ut ipse narrat (I, 7, 9.) Peracto hoc bello Messalla ad orientem componendum evocatus continuo e Gallia in Asiam proficiscitur nec Romam rediit nisi anno 727, ubi triumphum egit. Tibullus autem comitabatur eum etiam in hoc itinere (I, 3, 56) sed morbo contracto in Corcyra manere cogitur abeuntibus ceteris.“ Qua ex re sequitur, ut Tibullus, si versus illos de suo anno natali composuit, anno 723 u. c., quo aeger in insula Corcyra commorabatur, duodecim annos natus fuerit et undecim annorum puer Messallam ad bellum gerendum secutus sit. Deinde duodecim annos natus Deliam amaverit et carmina composuerit necesse est. Et cum Ovidius in Tristibus (II, 464) ad Augustum haec scripserit: legiturque Tibullus Et placet et jam te principe notus erat, Tibullum anno 711 natum: 727 u. c., quo Octavianus princeps salutatus est, nondum posita praetextâ carminibus laudem sibi collegisse necesse est. Quae omnia tam mira judicanda sunt, ut vix quisquam credere possit. Qua de causa Scaligerus primus de hoc versu dubitavit, sed certam sententiam exhibere non ausus est. Reliqui autem Scaligero ipso audaciores versum 18 el. 5 lib. III: „cum cecidit fato consul uterque pari“ et spurium et ex Ovidii Trist. (IV, 10, 6) haustum ommissi versus loco ab aliquo editore margini codicis ascriptum esse itaque postea in textum, qui vocatur, incidisse conjecerunt. Quod si fieri posset, non solum pentametrum, sed etiam duos illos antecedentes et subsequentes versus, quos paucis exceptis in Ovidii carminibus inveniri infra ostendam, exstirpandos esse censeam. At primum quidem in libro tertio complura inesse postea docebo, quae cum Ovidii dictione congruunt. Quod

si constat, non esse apparet, cur versus ille exstinguendus sit. Deinde ipsa illa loquacitas, quâ omnia accuratissime narrantur, ei, qui librum tertium conscripsit, maxime accommodata videtur esse. Quae res versu 28 optime demonstratur, quo auctor hujus carminis jam ter quinos dies se aegrotare narrat. Itaque qui tales minutias carminibus tradere a se impetravit, eum quo loco non opus erat natalem quoque diem nobis narraturum esse merito exspectare possumus.

Neque vero ab Ovidio versum illum „cum cecidit fato consul uterque pari" ex Tibulli carminibus repetitum esse verisimile videatur. Ovidius enim, quando versus Tibulli respicit, quod nonnunquam factum est, dilucide id indicare solet, velut in tristibus (II, 447 seq. Tib. I, 6, 7 seq.) et in amoribus (III, 9, 33—34. Tib. I, 3, 23—26. III, 9, 49—52. Tib. I, 3, 5—8. III, 9, 58. Tib. I, 10, 60.)

Quae cum ita sint, si Ovidius versum illum e Tibulli carminibus, quae omnibus nota erant, repetivisse censendus esset, non eo consilio eum mutuatus esset, ut apparere vellet, cujus verbis usus esset, sed parum verecunda fronte aliena despoliasset. At uberrimus ille poeta profecto tam inops et egenus non erat, ut ad significandum annum natalem alienis verbis et impudenter uti deberet. (Sic recte Spohnius pag. 17.)

Quae omnia cum viri docti intellegerent, Tibullum quidem auctorem horum carminum fuisse, sed supposito nomine et sorte alius ea composuisse putarunt. Liber autem tertius, si Tibullo tribuitur, aut ante libros priores aut eodem tempore aut postea conscriptus sit necesse esse apparet. Quarum altera sententia sex illas elegias eodem tempore aut postea compositas esse quam lib. I et II conscripti sint, omnino improbanda mihi videtur esse. Quomodo enim fieri potuit, ut poeta, qui tam praeclara poeseos opera in lucem edidit, eodem tempore aut postea carmina componeret, quae, si cum ceteris comparantur, nihili aestimanda sunt? Sed si ponimus sex illas elegias a Tibullo adulescente

compositas esse, vix credere possumus eum poetae, quem supponit, 711 annum tribuisse natalem. Eo enim tempore, quo Tibullus primum carminum librum composuit, poetam, quem ab eo suppositum esse dicunt, duodecim annos natum fuisse apparet. Quia autem vidimus Tibullus, si re vera librum tertium scripsit, hunc ante librum primum composuerit necesse esse, judicare cogimur, quasi poetam illum puerulum finxerit, quo tempore Neaerae maritus esse debet. A quo gravissimo errore Tibullum abhorruisse censendum esse jam Lachmannus optime intellexit, cum dixerit: „Haec carmina qui Tibullum Lygdami nomine composuisse censent, sed adulescentem nec ad eam, quam libro primo ostendit, virtutem enisum, huic poetae injuriam facere existimo, quem ante annum 723 scribentem nimis inepto consilio maritum Neaerae natum finxisse velint, belli Mutinensis tempore, hoc est ad summum undecenem". — At omnino vanum mihi videtur studium eorum, qui magna sententiarum et dictionum similitudine moti librum III Tibullo tribuendum esse censent. Ea enim re cogimur, ut aut duodevigesimum quintae elegiae versum exstinguamus et Tibullo genus poeseos ingenio ejus indignum assignemus, aut res, quae credi non possunt, veras esse judicemus. Qua consideratione ducti alii viri docti versum illum: „cum cecidit fato consul uterque pari" corruptum censentes mutare studuerunt. Quorum primus Ayrmannus verborum, quae vulgo leguntur, loco scribendum esse putavit: „cum cessit fato consul uterque pari." Totam autem rem spectare judicavit ad annum u. c. 705, quo Claudius Marcellus et Cornelius Lentulus css. appropinquante Caesare ex urbe et Italia cum Pompejo cesserunt. Qua in re solum Bauerum nactus est consentientem, cum reliqui viri docti velut Vossius et Heynius aliam amplexi sententiam hanc spernerent aut refutare studerent. Quorum Heynius recte monuit „cedendi" vocabulum ita absolute dictum orationem obscuram reddere et languere illa „fato pari." Neque minus improbandum est, qua ratione Obekius versum ab

Ayrmanno mutatum, quem tuetur, interpretari studet. Intellegit enim annum 671 u. c., quo L. Cornelius Scipio et C. Lunius Norbanus css. vi et dolis a L. Cornelio Sulla in Italiam reverso devicti sunt. Quorum consulum alterum largitione corruptum perfide deseruisse exercitum, alterum proelio profligatum esse. Atque haec quidem significari vocabulis „fato pari". — Recte autem Dissenius liquere monet vocabulum „fati" sic et in tali dictione incommodum esse, quod in lectione tradita bene positum esset. Summa autem licentia idem Obekius Cassium Parmensem libri III auctorem fuisse contendere studuit. Quem, cum natu major esset, multis locis a Tibullo expressum esse ex Horatiano illo versu (epist. I, 43) colligit: scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat. Neque vero quisquam sit, qui ex hoc quidem versu sequi censeat, ut Tibullus Cassi Parmensis exemplum imitandum sibi proposuerit. Deinde quia ex tota illius epistulae ratione Horatium his verbis amico blandiri velle apparet, nullo modo fieri potest, ut Cassius Parmensis tam mediocris poeta fuerit, qualem lib. III auctorem cognovimus. Quare si Horatius his verbis Tibullo blandiri voluit, Cassium Parmensem insignem poetam et qui omnibus placeret, esse necesse erat.

2. **Quinam Lygdamus et Neaera fuerint.** Alii autem viri docti velut Vossius librum tertium compositum esse censuerunt a Lygdamo quodam, qui se ipsum nominat in el. 2. v. 26 hisce verbis usus: „Lygdamus hic situs est: dolor huic et cura Neaerae, Conjugis ereptae, causa perire fuit." Sed si quis quaesiverit, quisnam fuerit ille Lygdamus, nihil aliud, quam quod ex ipsis carminibus colligi possit, respondeamus liceat virum eum fuisse ingenuum, cui culpa aliqua commissa Neaera uxor a parentibus ejus erepta sit, atque intimo ex animo cupivisse, ut illa in domum suam rediret. Nomen autem Lygdami a vocabulo „lygdi", qui onyx in Arabia et insula Paro secabatur, derivandum esse Vossius recte docet. Unde apud Ana-

creontem et complures Anthologiae poetas, qui vocantur, collum quod albo colore insigne est, „lygdini“ fuisse nominatum. Vocabulum autem „λύγδης“ Hesychio auctore idem valere atque „λεύκης: populi albae“. Itaque fieri posse, ut Lygdami et Lygdamis nomina a prisco vocabulo: „λύγδου: albi“ orta sint. Qua ex re id quidem apparet Lygdami nomen spectare ad libertinum Graecae nationis. At carmina ipsa repugnant opinioni eorum, qui Lygdamum poetam re vera libertinum fuisse censent. Neque enim verisimile esse videatur libertinum ita loqui, ut Lygdamum in elegia prima (v. 2) et in elegia sexta (v. 60) dicere animadvertimus, neque egenus potuit esse, qui in elegia sexta lautum convivium describit, ubi etiam unguenta pretiosa non desunt, et omnino elegantiam et luxum quendam amare videtur, velut cum librum amicae missum describit aut honores mortuo sibi reddendos. (Sic recte Dissenius praef. 31.)

Errare autem eos puto, qui quod Lygdami nomen cum Albii congruit et prosodia, quae vocatur, et origine ipsa, Tibullum tali modo nomen suum abdidisse conjiciunt. Neque enim intellegere possum, cur Tibullus, qui aliorum poetarum instar se ipsum nominare solet (I, 3, 35, I, 9, 83.), hac arte usus sit. Neaerae autem nomen, quod non minus Graecum esse apparet quam Lygdami, quia mariti suppositum erat, simili de causa fictum esse liquit. Eos igitur viros doctos, qui velut Heynius et Bachius Neaeram originis Graecae fuisse censent, non recte judicasse apparet, praesertim cum ab aliis quoque poetis Romanis, velut Horatio (od. III, 14, 21) idem nomen amatis puellis esse inditum constaret. (Copiose ea de re Spohnius p. 55.). Neaeram autem non humili loco esse natam non magis e pretiosis muneribus, quibus poeta funus suum ab illa ornatum iri sperat, neque ex elegia quarta, quod Spohnius et Bacchius versum 92 afferentes voluerunt, quam ex submisso illo animo sequi mihi videtur, quo poeta, quem virum ingenuum fuisse cognovimus, Neaerae et parentium favorem sibi reconciliare studet. Versu

enim illo: „sed culta et duris non habitanda domus“ iisque, qui sequuntur: „et longe ante alias omnes mitissima mater Isque pater quo non alter amabilior“ poetam Neaerae parentibus blandiri voluisse censeam, quibus blanditiis id se effecturum esse speravit, ne illi conjugem ereptam alii viro nubere concederent. —

Deinde viri docti ea de re dubitaverunt, num Neaera uxor Lygdami an sponsa an amica fuisset. Ex plurimis autem locis, quae ea de re inveniuntur, sequi mihi videtur, ut Neaera uxor Lygdami sit habenda, quae culpa aliqua a marito contracta divortium cum illo fecerit atque in parentium domum redierit. Ingenti autem poenitentia cruciatus Lygdamus carminibus suis eam obtestatur, ut ad se revertatur, praesertim cum parentes id egisse videantur, ut Neaeram in alius viri matrimonium darent. Qui loci ostendere mihi videntur Neaeram Lygdami uxorem fuisse, hi sunt: eleg. 2, 1—4. 14. 29—30. 3, 31—32. 4, 60. 73—74. Neque vero praetermittendum est, quin non desint, quae opinionem: Neaeram Lygdami uxorem fuisse, dubiam esse ostendant. Legentes igitur, quae in elegia prima (v. 23—28) reperiuntur, ii qui contendunt Neaeram fuisse Lygdami amicam vel sponsam in significationem vocis „quondam“ nituntur, deinde ad vocabula „spem nominis“ simul audiendum esse conjiciunt „adipiscendi“ vocem. Quae argumenta satis inania esse apparet. Quamvis enim constet vocabulum „quondam“ de futuro quoque tempore esse usurpandum, saepissime tamen de praeterito legi potest. Deinde quid impedit, quominus ad vocabula „spem nominis“ suppleamus „recuperandi“ notionem. Sed quomodo res se habeat, id quidem constat poetam in nimiae brevitatis vitium esse lapsum. Alius autem locus, quem in elegia quarta (v. 79) legimus, omnibus, quae demonstrare studuimus, repugnare videtur: „hoc tibi conjugium promittit Delius ipse: felix hoc, aliam desine velle virum.“ Itaque cum Apollo Neaerae conjugium cum Lygdamo contrahendum se promittere dicat, Neaera uxor illius jam antea fuisse

non putetur. Cujus loci difficultas fortasse infringatur, si Apollinem haec significare voluisse judicemus: „hoc conjugium, quod jam antea tibi promisi, denuo tibi promitto, quae a marito discessisti. Hoc conjugio felix cave, ne alium virum cupias." Tamen vero restant, quibus opinio: „Neaeram Lygdami uxorem fuisse" omnino negari videtur esse, versu 51 et 60 elegiae sextae, quorum in altero „puellae" vocabulum et „amicam" et „novam nuptam" significare, in altero minus Neaeram „uxorem ereptam", quam „libertinam" aliquam intellegi posse apparet. Neque enim quod Vossius opinatus est puellas, quae in versu 51 et 60 commemorentur, diversas esse personas, ita ut poeta altera Neaeram, altera libertinam aliquam significaverit, recte se habere potest, quia vocabulis „fallacis" et „vanae" inter se respondentibus poeta de una eademque persona cogitasse satis manifesto demonstrari mihi videtur. (cf. infra).

3. **libri tertii auctorem imitatum esse Tibullum.** Quod jam supra commemoravimus, quamvis diversa libri tertii et priorum ratio sit, magnam tamen sententiarum et dictionem similitudinem inesse, hoc quidem loco accuratius examinemus liceat. Sententiae autem illae ita congruunt cum iis, quas in libris prioribus legimus, ut, quae in his bene et moderate exprimantur, in libro tertio maximam partem male amplificata sint. Itaque quae legimus in lib. I, el. 3 v. 5—8, eadem fere in lib. III el. 2, v. 11—26 nimis amplificata magnaque minutiarum copia instructa reperire possumus. Deinde quae verba in lib. II el. 3 a v. 41—44 neque multo post in v. 57 et 58 inveniuntur, ea et repetita et satis amplificata in lib. III el. 3 v. 3—6 et denuo in v. 11—18 occurrunt. Similiter ea, quae elegia 3 lib. I a v. 51—54. 57—58 et el. 2 lib. I v. 79—80 continentur, nimis amplificata redeunt a v. 7—16 et v. 23 el. 5 lib. III. Deinde eadem res, quae v. 10—11 el. 3 lib. II narratur, iisdem fere verbis iteratur III, 4, 67—72. Similis denique sententia atque in lib. I el. 10 v. 43 redit in lib. III, 5, 25. Singulae quoque

dictiones, quae in lib. I et II inveniuntur, in tertio denuo leguntur, velut „ferreus ille fuit“ (I, 10, 2. III, 2, 2), „ipse dedit cupidis fallere posse deus“ (I, 8, 56) et „posse videre dedit“ (III, 4, 48), „o pereat, quicunque“ (II, 4, 27) et „ah pereat... si qua“ (III, 4, 62), „o ego ne possim tales sentire dolores“ (II, 4, 7) et „ah ego ne possim tanta videre mala“ (III, 4, 82).

Neque vero solis sententiis et dictionibus sed etiam arte metrica libri tertii auctor Tibullum exaequare studuit. Recte igitur Lachmannus in adnotatione lib. III, 1 subscripta „in versu, inquit, pentametro libri III auctori ars cum Tibullo fuit communis.“ Quae verba cum spectent ad similitudinem soni, quae in exitu hemistichii cujusque pentametrorum sexcenties observari potest, inspiciamus oportet Propertii carmina a Lachmanno edita, quo in libro (pag. 23) doctissimus ille vir consonantiam apud Tibullum et auctorem libri tertii certis legibus fieri solere ostendit: Primum quidem apud utrumque consonantia admittitur, „cum versus sententia duabus partibus constat, in quibus plerumque aliquid oppositionis inest.“ (I, 4, 2. 4, 54. 2, 8. III, 2, 14.) Deinde adjectivum sive pronomen substantivo adhaerens consonare apud Tibullum et auctorem libri tertii locis observari potest permultis. Afferamus liceat exempla, quae in libro III inveniuntur: 1, 10. 22. 3, 26. 28. 4, 6. 16. 32. 52. 68. 96. 5, 8. 14. 6, 12. 26. 58. 62. — 1, 2. 2, 12. 3, 34. 4, 80. Simplicissima autem consonantia, quae efficitur eodem pronomine ultimo utriusque hemistichii loco posito, invenitur lib. III, 3, 14. Ejus denique usus, quo et postrema prioris hemistichii dictio atque omnium ultima ad unum subjectum spectantes consonent, haud plura exempla animadverti possunt, quam unum illud lib. III, 2, 8.

Neque minus recte se habet, quod M. Hauptius (observ. crit. pag. 21) animadvertit et a Tibullo et ab auctore lib. III in primo hexametri pede productam cum correpta syllaba confundi solere (cf. I, 2, 89. II, 1, 41. III, 4, 49.)

4. libri tertii auctorem imitatum esse Ovidium. Deinde non admodum pauca in libro III legere possumus quorum alia omnino conveniunt cum iis, quae in carminibus ab Ovidio compositis leguntur, alia magnam sententiarum similitudinem demonstrant. Versus autem, quos et Ovidio et libri tertii auctori communes esse apparet, hi sunt: Ov. ars am. II, 6, 70 iam veniet tacito curva senecta pede. auctor lib. III, 5, 16 nec veniet tardo curva senecta pede. Ov. Trist. IV, 10, 6, auctor lib. III, 5, 18: cum cecidit fato consul uterque pari. Ov. am. II, 14, 23: quid plenam fraudas crescentibus uvis Pomaque crudeli vellis acerba manu. auctor lib. III, 5, 19: quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis Et modo nata mala vellere poma manu.

Similis deinde rerum describendarum ratio animadverti potest locis, qui sequuntur: Ov. Trist. lib. I, 1—14. auctor lib. III, 1, 9 - 14. — Ov. Metam. IV, 329—339. auctor lib. III, 4, 29—34. — Quae cum ita sint quaeritur, num Ovidius poetam, qui librum III composuit, an hic illum imitatus esse censendus sit. Ac primum quidem si ponimus Ovidium libri tertii auctoris elegias imitandas sibi proposuisse, id mirum videatur necesse est, quod poeta, quem Ovidius imitatione dignum putaverit, per omne tempus ignobilis manserit. Deinde quo loco (trist IV, 10, 6) de anno natali suo loquitur, versum totum a poeta ignobili repetivisse vix credi possit. Quid? num credamus Ovidium summa admiratione poeseos ductum, quam satis malam et vitiosam esse supra docuimus, sex illas elegias adeo memoria tenuisse, ut nunquam praetermittere posset, quin in carminibus, quae priora composuit, et in iis, quae longo temporis spatio post edidit, eas imitaretur. Deinde quia Ovidium poetam praematurum fuisse constat, ea re libri tertii auctor illum superaverit necesse est, cum eodem anno natus et a poeta ingenii ubertate praestantissimo, quamdiu vixit, imitatione dignus judicatus sit.

5. Ovidium libri tertii auctorem esse non posse. Quae omnia cum maxime mira et vix credenda videantur,

Gruppius Ovidium ipsum sex illas elegias composuisse conjecit. Quam opinionem demonstrari censet versu illo, quo annus natalis contineatur, deinde eo, quod etiam Ovidius vir ingenuus et poeta praecox fuerit neque negligendum esse, quod conditio ei similis, quae interfuerit inter Lygdamum et Neaeram, posse inveniri. Cum recte se habeat et Ovidium et Lygdamum eodem anno natos viros fuisse ingenuos, quanam ex re Gruppius colligere potuerit Lygdamum praematurum fuisse poetam et qui omnibus placuerit, non intellego. Versu enim illo, quem affert ad hanc rem demonstrandam (III, 6, 57) „carminibus celebrata tuis formosa Neaera", nihil doceri posse mihi videtur. Deinde ex trist. lib. IV el. 10 v. 61—72 sequi censet, ut Ovidio idem quod Lygdamo acciderit, cum utrique uxor sit erepta. Sed si accurate animum ad illum locum attenderimus, solos duos ultimos versus in deliberationem cadere posse intellegemus. Ac primum quidem, quonam modo Gruppius ex illis verbis colligere possit alteram illam uxorem Ovidio fuisse ereptam, non perspiciatur. Deinde Gruppio consentire videtur flebilis ille sonus, quo Lygdamus in elegiis utitur, cum excusatione, quam supra apud Ovidium legimus. Sed verba: molle Cupidineis nec inexpugnabile telis cor mihi, quodque levis causa moveret, erat" et quae sequuntur, omnino non ostendere mihi videntur Lygdamum lamentantem et Ovidium sese excusantem eosdem fuisse viros, quia multis similia accidere possunt. Pergit autem Gruppius colligere Neaeram, cum altera illa uxor esset, Ovidio non multo post nupsisse, quam conjunx, cui nomen indignae et inutilis tribuit, e matrimonio illius dimissa esset. Itaque cum Ovidius ipse dicat „paene sibi puero" datam esse uxorem, „quae tempus per breve nupta fuit," admodum adulescentem eum fuisse conjiciamus nobis licere, cum alteram illam puellam in matrimonium duxisset. Neque minus Gruppio tanta cum adulescentia poesis vitiis gravioribus non carens consentire videtur. Quamquam enim sex illis elegiis antea (pag. 112—

124) nimiam laudem tribuit, alio loco (pag. 138) concedere cogitur: „Auch mochte dem Ovid in späteren Jahren das Gedicht (lib. 3) in vieler Rücksicht zu schwach und namentlich zu abhängig von Tibull erscheinen." Sed quod Gruppius conjecit Neaeram alteram Ovidii uxorem fuisse, ea re refelli mihi videtur, quod poeta frigore quodam illius uxoris mentionem facit, cum dicat: illi successit, quamvis sine crimine conjunx, Non tamen in nostro firma futura toro. Quibus solis verbis, quae animum ab uxore abalienatum dilucide demonstrant, Ovidium non usum fuisse censeam, si alteram illam conjugem re vera amasset et ut Lygdamus ingenti dolore vexatus ereptam recuperare studuisset. Gruppii autem opinionem omnino rejiciendam esse appareat, si recte se habeat, quod Leutschius (Encyclop. v. Ersch u. Gruber sect. III tom. 8 pag. 44) putat divortium inter Ovidium et alteram illam uxorem inter annum 740 et 750 esse factum. Neque causam, quam affert, improbandam esse censeam. ,,Quia enim ars amatoria hilaritate quadam animi ab Ovidio composita esset. molesta muxorem antea quam illud carmen elaborasset, e matrimonio dimissam esse verisimile esse. Quod si verum est Ovidium, quem amores inter annum 744 et 752 edidisse constat, artem autem amatoriam sub finem anni 752, non eundem esse apparet atque Lygdamum. Quae Gruppius deinde exhibet Ovidium aeque vitam rusticam carminibus non celebravisse atque Lygdamum, sed tamquam urbanum poetam fuisse, nullius momenti esse liquet. Vanum quoque studium est, quo, cum Ovidius ipse dicat: ,,et quod tentabam dicere versus erat," huic poetae sex illas elegias optime accommodatas esse censet, quia ea in conditione, in qua ceteri homines soluta oratione usi fuissent, tamquam numeris feratur. Quae opinio aeque mira est atque ea, quae sequitur. Censet enim Gruppius illas elegias non eo consilio Ovidium conscripsisse, quas in medium proferret et quibus laudem sibi colligeret, immo postea ignoraverit eas unquam exstare necesse esse,

Qua de causa quae illis in carminibus praestantia fuerint, eum et in memoria custodivisse et in carminibus, quae postea composuerit, adhibuisse, ita ut priori opere suo usus esset. Omnino non dubitaverit oportere, quin carmina illa nullo temporis momento cognoscantur. Itaque facile explicari posse, quonam modo versus, quo annus natalis contineatur, in tristibus redeat. Et similia de reliquis, qui inter se congruant, versibus esse cogitanda. At perpendenti mihi, quanta ingenii vi et fecunditate Ovidius fuerit Gruppii opinio plane indigna videtur esse poeta, qui de se ipse dicit: (trist. IV, 10. 25.) sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos, Et quod tentabam dicere versus erat. Sed supersunt alia, quae Ovidium libri tertii auctorem non fuisse dilucide demonstrant. Ac primum quidem tota illorum libri tertii carminum ratio ab Ovidii more abhorret, qui lascivas imagines carminibus (amoribus.) immiscere solet, cum Lygdamus inpudicae libidinis vel effrenatae cupiditatis signa prodat fere nulla, immo elegiae ab eo compositae summae castitatis speciem prae se ferant. Deinde libri tertii auctor ea re ab Ovidio distat, quod hic nusquam pentametrum versum vocabulo trisyllabo claudere solet, quem usum apud illum ter inveniri haec exempla ostendunt: III, 2, 4. 6, 10. 48.

6. **Quid de auctore libri tertii censeam.** Quae cum ita sint, id primum quidem constare mihi videtur, quisquis sex illas elegias composuerit, eum non solum ex Tibulli sed etiam ex Ovidii carminibus repetivisse complura. Deinde si Ovidii carminibus usus est, et amores et tristia ei praesto fuisse necesse est. Quia autem tristia inter annum 761 et 765, composita esse constat (Leutsch Encycl. pag. 52) libri tertii auctor vir plus quinquaginta annos natus sex illa carmina composuisse consendus est. Cui opinioni elegia quarta et quinta plane repugnari apparet. Verba enim, quae illis locis leguntur, cum haec sint: 5, 19—20: quid fraudare juvat vitem crescentibus uvis Et modo nata mala vellere poma manu?“ 5, 6: „im-

merito juveni parce nocere, dea! 4, 73 nescis, quid" sit amor, juvenis, vir plus quinquaginta annorum aut se ipsum cum primis modo natis comparare aut juvenem se appellare potuisse credi nequit. Atque his quidem ex locis libri tertii auctorem atque Lygdamum non eundem virum fuisse dilucide sequi mihi videtur. Jam vero si recte se habent nomen Lygdamum auctori non fuisse, aut adversam hominum sibi notorum fortunam pingere voluisse aut omnia cogitatione effinxisse putandus est. Sed cum mediocris esset poeta, conditionem illam, quam adumbrandam sibi proposuit, non ita describere valuit, ut legentes perpetua et expressa imagine delectaret. Itaque primum quidem in eo peccat, quod in elegia quinta Neaeram nullo loco commemorat. Quod certe fieri debebat, si perpendimus Lygdamum, cum auctor hanc elegiam eum componentem fecerit, omnibus malis fuisse cumulatum necesse esse. Uxore enim erepta etiam morbo opprimitur gravi, ita ut de sanitate recipienda plane desperet. Optimo igitur jure exspectamus, si Lygdamus Neaeram re vera amavisse et uxorem ereptam intimo ex animo recuperare studuisse putandus est, ut hoc loco, quo aptior erat nullus, illius mentionem faciat. Et quis est, quin miretur, quod idem Lygdamus, qui cum mortuum se fingat, in elegia tertia per sedecim versus de Neaerae matrisque moerore loquitur, hac in elegia, in qua Persephonen nigram horam sibi denuntiare queritur, nusquam dolores pingat, quibus crucietur, quod Neaerae cura careat, nusquam illarum tristitiam commemoret. Neque minus vitium judicandum est, quod auctor elegiam sextam ita composuit, ut et Lygdamus et Neaera omnino diversi esse videantur iis, qui in elegiis antecedentibus pinguntur. Maxime enim mirandum est, quod in elegia sexta summissa illa et lamentantia verba, quibus ceterae abundant, desiderantur. Quorum loco effrenata quaedam licentia, a qua Lygdamus alibi alienus describitur, nobis occurrit. Itaque jure miramur, quod idem, quam in reliquis carminibus omnia, quae ad voluptatem

spectant, summa castitate praetermittere cognovimus, contra mo-
rem suum versibus 53. 54 haec exclamare legitur: „quam vellem
ecum longas requiescere noctes Et tecum longas pervigilare
lies." An licentiam illam excusemus ea re, quod Lygdamum,
ore ut Neaeram recuperaret omnino desperasse putemus? Quae
pinio, quamquam versibus 29—30. 55—56 confirmari videtur,
ersus tamen 59—61, quibus poetam nullam aliam nisi Neae-
am significare potuisse jam supra commemoravimus, dilucide
emonstrare censeam auctori in componenda hac elegia non
Jeaerae ut „conjugis ereptae" sed ut „puellae" sive „amicae"
naginem esse obversatam.

Omnino autem quia auctor sensus, quibus Lygdamus
ommoveretur necesse esse judicabat, non accurate et dilucide
s describere posse intellexit, in eam potissimum rem intendit,
u a pingenda amoris cura ad descriptionem rerum externarum
cnfugiat, veluti libelli illius, quem Neaerae misit, deinde jus-
trum sibi solvendorum et divitiarum, quas plurimi ament,
Apollinis denique vaticinantis.

Quomodo autem carmina illa Tibulli elegiis immixta sint,
nscimus, sed editorum negligentia id factum esse suspicari
pssumus, qui, cum colorem quendam Tibullianum animadver-
tent, ab ipso hoc poeta ea conscripta esse putarent. Opinio
eim eorum, qui conjecerunt totum corpus, quod traditos illos
quatuor libros continuit, in domo Messallae esse inventum, ea
rerefellitur, quod Lygdamum ex quarto tristium libro quatuor-
decim fere annis postquam Messalla periit composito, nonnulla
reetivisse apparet. Qua de causa cum elegias libri tertii certe
pallo post quam anno 764 conscriptas esse oportere liqueat,
nuo modo inter ea, quae a Messalla mortuo relicta sunt, in-
veiri potuisse censeam.

Vita.

Natus sum Carolus Stumpe, evangelicae fidei addictus, Francofurti ad Viadrum a. 1844 m. Nov. d. 5. patre Carolo, matre Marianna e gente Leue. Elementis litterarum imbutus Gymnasium adii Francofurtense, quod per 10 annos frequentavi. A. 1864 tentamine superato academiam petii Jenensem philologiae operam navaturus. Insequenti autem semestri Berolinum me contuli et tribus semestribus post Halas, qua in universitate itidem per tria semestria versatus sum.

Institutione usus sum virorum ill. Jenae: Nipperdey, Schleicher, Simson, Gaedechens; Berolini: Bökh, Haupt, Trendelenberg, Massmann, Müllenhoff, Geppert, Jordan, Steinthal, Droysen, Kiepert. Halae: Schaller, Bergk, Bernhardy, Zacher, Pott, Lucae.

Praeterea Halis seminariis philologicis, quae G. Bernhardy et Th. Bergk moderantur, per duo semestria sodalis ordinarius interfui. Deinde per tria semestria exercitationum societatis philologicae a Th. Bergk rectarum partem habui. Quibus viris optime de me meritis gratias ago maximas.

Theses

I.

Carmen in honorem Messallae conscriptum Tibullo esse abjudicandum.

II.


In Hor. epist. I, 5, 11 *lectionem „aestivam" esse retinendam.*


III.

De elegiis Sulpiciae Gruppium recte judicasse.

IV.

In Plauti Mil. glor. v. 552 *„aqua aeque" esse scribendum.*


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 092 774 6


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 092 774 6